nesciret. Simplicitas enim quaeritur, non ambitio desideratur. Nec
contemnenda putes quasi uerba uilia pastorum. A pastoribus et maria
fidem colligit, a pastoribus populis addi reuerentiam congregatur. Mi
rati enim sunt de his quae dicebantur a pastoribus ad ipsos.

MARIA autem conseruabat omnia uerba haec conferens in cor
de suo. Discamus sanctae uirginis in omnibus castita
tem, quae non minus ore pudica quam corpore argumenta fidei confe
rebat in corde. Si maria a pastoribus discit, cur tu declinas
discere a sacerdotibus? Si maria ante praecepta apostolica tacet,
cur tu post apostolica praecepta magis cupis docere quam discere? Di
sce personae uitium esse non sexus; sexus enim sanctus est. Denique ma
ria praeceptum non accepit, exemplum edidit.

De circumcisione domini. VII.

CIRCUMCIDITUR etiam puer. Quis ille puer nisi il
le de quo dictum est: puer natus est nobis, filius datus est
nobis. Factus est enim sub lege, ut eos qui sub lege essent (al' erant) lucrifaceret.
Sistitur autem in hierusalem. Quid sit autem in hierusalem sisti domino dicere non
in esaiae commentariis ante dixisse. Circumcisus enim uitiis domino
dignus iudicabatur optutu, quia oculi domini super iustos. Uides omnem
legis ueteris seriem fuisse typum futuri; nam et circumcisio purgati
onem significat delictorum. Sed quoniam propensa quadam cupiditate peccan
di humanae carnis et mentis fragilitas inextricabilibus uitiis im
plicatur, ideo per octauum circumcisionis diem culpae totius futura pur
gatio resurrectionis praefigurabatur aetate. Hoc est enim illud: quia
omne masculinum adaperiens uuluam sanctum domino uocabitur. Uerbis
enim legis promittebatur uirginis partus. Et uere sanctus, quia imma
culatus. Denique ipsum esse qui lege signetur in eundem modum ab an
gelo repetita uerba declarant: quia quod nascetur in te sanctum uocabi
tur filius dei. Non enim uirilis coitus uuluae uirginalis secre
ta reserauit, sed immaculatum semen inuiolabili utero spiritus